


DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ menſis Januarii, Anno Domini 1776.

M. JACOBO-ALBERTO HAZON,
Doctore Medico, Præſide.

An in puerperarum torminibus diverſa curatio?

I.



EMINEM latet tormina, quibus poſt partum quandoque mulieres cruciantur, dolores eſſe anxios & moleſtiſſimos; hæc autem in diverſis uteri regionibus ſenſum ſuî non faciunt, quin ſimul lympha ſanguinea, grumique nigricantes excernantur. Quod accuratè notandum humoris profluvium indicat tormina ab ipſomet utero ducere originem. Sunt enim alia, quæ aliundè producta ab his diſtinguntur, quia nullam habent uteri excretionem, ea putà, quæ inteſtina aut alia abdominis viſcera nonnunquàm experiuntur. Inſuper tormina puerperarum non indeſinenter, ſed identidem divexantia, quodam gravitatis ſenſu prænunciantur. Quamvis ea ab eodem fonte ut plurimùm fluant, attamen pro variis cauſis, pro vario recèns enixarum temperamento, inter ſe differunt: indè in puerperarum torminibus adhibenda quandoque diverſa curatio.

I I.

AD causam horumce torminum explicandam multa excogitata fuerunt systemata: alii in intestinis eam sedere ; alii ex lochiorum putrescentiâ ; quidam ab uteri tubulorum rupturâ causam oriri volunt. Swietenius sanguinis grumorum præsentiâ in cavitate hujusce visceris produci autumat : nonnulli tandem sensibilitatem uteri magis auctam admittunt. Singuli autem hactenùs ipsam ne quidem veritatis adumbrationem nobis attigisse videntur. Humorum stagnationem in uteri parenchymate, variis adducti rationibus, censemus assignandam. Humores etenim in hujusce visceris textu stagnantes, calore loci, characterem acrimoniæ concipiunt, fibras uteri nervosas & lacertosas stimulant ; indè sequitur hasce fibras contractiliores, illas sensibiliores fieri : ex hoc simultaneo effectu citò prodeunt in uteri substantiâ quædam phlogosis & erethismus ; indè dolores aut tormina magis aut minùs vehementia pro vehementiori stimulo, nativâque sensibilitate, diversis in mulieribus diversimodè auctâ. Hujusce stagnationis causa si quæratur, duplex est, nempè ; vel à minori elasticitate, vel à spasmodicâ tubulorum constrictione : indè torminum causæ in praxi Medicâ essentialiter distinguendæ.

I I I.

POSITO nostro systemate dilucidè potest explicari, cur in primo partu absint tormina, in sequentibus adsint, in præternaturalibus minùs frequentia, post sanguinis jacturas nulla, deniquè Viragines iis non sint obnoxiæ ?

1°. Quidem in primo partu nulla adsunt tormina, ex eo quòd uterus omni suo polleat adhuc elaterio ; hinc fibrarum contractilitas major, ex quâ sequitur succorum ab uteri substantiâ prodeuntium effusio ferè subitanea ; ac proindè, stimulo deficiente, nullus sequitur effectus.

2°. Adsunt in consequentibus, quia jam uteri elaterium debilitatur ; undè hujusce visceris textus succis superfluis difficiliùs liberatur.

3°. In præternaturalibus minùs frequentia sunt, quòd in hoc-ce casu ferè semper irritetur uterus ; indè, contractiliore facto, torminum causa promptiùs expellitur.

4°. Post sanguinis jacturas nulla percipiuntur : succi enim in hujusce visceris substantiâ diffusi, ferè subitò foràs eliminantur.

5°. Tandem Viragines plerùmque iis non sunt obnoxiæ ; nam in illis uterus nativâ vi semper pollens, succorum colluvie faciliùs & subitò exoneratur.

Ex his patet, torminum causam esse duplicem, ac proindè diversam: illa diversitas in praxi accuratè observanda, pro deducendis indicationibus, methodoque curativâ meliùs absolvendâ.

I V.

QUOD suadet ratiocinium, ipsâ etiam multiplici celeberrimorum authorum agendi normâ confirmatur. Licet enim eorum curandi methodus sæpissimè varia, imò quandoque opposita videatur, singuli tamen pro variis circumstantiis nonnunquàm prosperos habent exitus; sic methodi diluentis & temperantis fautores, quando major uteri sensibilitas spasmodicaque vasorum constrictio phlogosim & erethismum constituunt; Calidi verò regiminis asseclæ, cùm uterus laxior minori gaudet elaterio, ad causam torminum expellendam diversimodè perveniunt. Verùm æquali sorte deficit utraque methodus, siquidem in priori casu fibrarum debilitas; in posteriori verò tensio nimia locum obtineant. Nil mirùm etiam, quod Empirici, Circulatores, ipsæque Aniculæ inconsultò semper agentes, eadem adhibendo remedia in omnibus singulisque circumstantiis, casu fortuito, quandoque feliciter morbum expugnent; verùm sæpissimè symptomatibus maximè periculosis, etiam lethiferis originem procreant.

His expositis, varias ad curanda puerperarum tormina indicationes esse adimplendas abundè demonstratur.

V.

IN torminum curatione minuenda ut plurimùm uteri sensibilitas, moderandaque hujusce visceris spasmodica constrictio, ex quâ, ut ita dicam, prodeunt phlogosis & erethismus; indè generatim lenientium, temperantium usus, ut aquæ pullinaceæ, aut vitulinæ, serum lactis, omnes plantarum nitrosarum infusiones, clismata emollientia & blandissima; balneationes, cataplasmata anodina in uteri regione, anti-histerica, quandoquè moderata, cum felicissimo successu narcotica persæpè usurpantur. Si autem pro tantâ constrictione timenda sit inflammatio, tunc non rejiciendæ applicationes hirudinum, injectiones diluentes, saphenæ sectio, &c.

Viâ autem omninò contrariâ procedendum, si tormina ex fibrarum debilitate pendeant, tunc levibus tonicis, stimulantibusque, alexipharmacis variis, pro majori vel minori relaxationis gradu recurrendum; ut jusculа verveсina, aut alia hujusce generis exquisita: Croci, Santali

Citrini, Arthemisiæ, Melissæ, Roris-marini, aut Salviæ & Menthæ infusiones &c. Celebranda sunt etiam linimenta aromatica, frictiones nervinæ, &c.

Cæcâ ab Empirice innumera proposita fuerunt remedia, quorum alia rejicienda sunt, ut periculosa: quales sunt spiritûs vini mixtiones cum ovorum vitellis, nuces trituratæ, jusculoque mixtæ, omniaque generatim spirituosa & olea. Alia quandoque, sed prudenti manu & cautè adhibenda; ut v. g. exquisita perdicum juscula, vina generosa cochleatim sumpta, &c.

At, inquient nonnulli, tormina puerperarum una & eadem sunt, cùm unam & eamdem causam agnoscant primariam, partum scilicet; indè unica adhibenda curatio. Sic objicientibus respondendum: tormina generatim una & eadem sunt, esto. Sed tamen pro peculiaribus causis inter se differunt; id est, temperamentis, ætate, partûum numero, anni tempestatibus, locis, pro variâ tandem diætâ, indè concludere fas est:

Ergò in puerperarum torminibus curatio diversa?

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Felix VICQ D'AZYR, *Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, S. Comitis Atrebatum Medicus.*

M. Josephus COTTON.

M. Franciscus THIERY, *Eques, Regis è salubri Consilio, Regis Medicorum Collegii Nanceii Socius honorarius, Regiæque ejusdem civitatis Scientiarum & humaniorum Litterarum Academiæ, necnon Biterrensis.*

M. Antonius Chaumont SABATIER.

M. Henricus-Joannes BAGET.

M. Anna-Claudius DORIGNY.

M. Joannes-Franciscus-Achilles LALOUETTE, *Eques.*

M. Carolus Jacobus SAILLANT.

M. Ludovicus-Joannes-Baptista COSNIER.

Proponebat Parisiis JOANNES-RENATUS SIGAULT, Divionæus, Doctor Medicus Andegavensis, necnon Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. Theseos Author. A. R. S. H. 1776, à sextâ ad Meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1776.